MASTER NEGATIVE NO. 93-81187-4

AUTHOR:

KOLBE, BERNHARD

TITLE:

DE KANTIO PHILOSOPHO

PLACE:

BEROLINI

DATE:

[1841]

Master Negative #

93-81187-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Kolbe, Bernhard, 1812-

De Kantio philosopho; dissertatio inauguralis quam... publice defendet auctor Bernhardus Kolbe.. Berolini, typis fratrum Schlesinger, [1841]

28 p. 24 cm.

Thesis, Berlin, 1841.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11X

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 3-22-93 INITIALS M.D.C.

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

No. 4

DE

KANTIO PHILOSOPHO.

DISSERTATIO

INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

BEROLINENSI

PRO

SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

RITE CAPESSENDIS

DIE XVII. M. MARTII A. MDCCCXLI.

HORA I.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

BERNHARDUS KOLBE

SILESIUS.

Opponentibus

SCHMIDTIO, phil. Dr.
HERMANNO, phil. Stud.
SCHNEIDERO, theol. Stud.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

OPTIMIS DILECTISSIMIS PARENTIBUS

IGNATIO KOLBE

ET

BARBAREE

E X G E N T E H A U C K I A N A

IN PACE DOMINI REQUIESCENTIBUS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

FILIUS.

Caput I.

QUID INTERSIT INTER VETERIS PHILOSOPHIAE FORMAM ET CHRISTIANAM.

Merito recens, quae inter nos effloruit, philosophiae forma Christianae nomine insignitur, quippe quae ab ipsa religione Christiana et magnam partem evocata et in multis iisque gravissimis quaestionibus ita sit directa ac gubernata, ut et haec philosophia plane novum aliquid in litterarum campo esse censeatur et novum quasi sibi majestatis suae diem surgere glorietur. Nam, quamquam more receptum est, medium inter veterem et recentem historiam locum mediae, quae dicitur, aetati attribuere, tamen haec, si accuratius spectatur, non tam magnam, quae inter illa temporis spatia observatur, indolis ac morum, differentiam componere et exaequare, quam, quae vera viri clarissimi sententia est (1), novam historiam praepare et introducere existimanda est. Quod enim mediam aetatem eo tempore incepisse statuunt, quo novi populi in Europam invaserint, aut quae nunc imperio va-

(1) H. Ritteri.

lent civitates, nascerentur, novos potius illos populos, nova religione invalescente, incrementa cepisse dicendum est. Nam quum omnia, quibus priorum populorum jura, mores, leges et consuetudines inniterentur, antiquitatis sola radice continerentur, fieri non potuit, quin antiquitate ipsa ab inflorescentis doctrinae Christianae progressibus magis in dies abolita veteres populi interirent, novi succederent, novum rerum ordinem instituturi (1). Quamobrem, cum novi temporis origo ac formatio comprehendi nequeat, nisi ab iis, qui ad ipsa primae Christianae doctrinae initia recedere audeant, quibus omnis litterarum ratio ac status divinae revelationis auctoritate vel maxime immutaretur; Christianam philosophiam praecipuam aliquam hujus immutationis partem fuisse adeo manifestum est, ut, quamvis ex priorum temporum rationibus novi cujusque conditionem aptam esse, cum et ab ratione et ab experientia confirmetur, facile concedamus, Christianae tamen religioni, quippe quae et civitatum et morum rationes simul cum communi hominum judicio novarentur, prae ceteris omnibus, quibus res humanae gravius umquam commotae et dispositae sint, summum momentum tribuendum esse statuimus (2). Ipso enim sensu et ingenio hominum immutato, rerum etiam contemplatio et philosophia alia fieri debebat, ut, quae inde ab saeculo XVImo opinio in-

---

(1) Ch. Aug. Brandis in libro qui inscriptus est: „Geschichte der Griechisch Römischen Philosophie. I. Theil. Berlin 1835. S. 52.

(2) Cf. Neandri librum praeclarum „Allgemeine Geschichte der christlichen Religion und Kirche. I. Bandes I. Abtheilung. pag. 71 u. ff.

valuit (1), philosophiae, tanquam religionis vicariae, in antiquitate tantum locum fuisse, cum doctrina vero Christiana nihil omnino communionis intercedere, nulla argumentatione fortius quam ab ipsa historia redarguatur et convincatur. Nam quid in caussa fuisse existimabimus, cur vel ipsi patres ecclesiae ethnicis erroribus obloquentes ad philosophiae et omnis eruditionis praesidia confugere cogerentur, quam quod a doctrinae Christianae sanctitate nihil magis alienum erat quam litterarum decus et philosophiae dignitatem tollere, quae etiamsi per longum tempus, quo omnis scientiae vis ad unam theologiam referretur, superflua esse censeretur, tamen in ipsis Christianae doctrinae recessibus adeo dominata est, ut, quam arcto religio et philosophia vinculo contineantur, non aliunde clarius, quam ex ecclesiae historia probari possit.

Jam vero, ut dixi, si philosophiae argumentum spectamus, hoc post Christi tempus valde mutatum et aliud fere factum videtur, ut jure quidem philosophia Christiana ei, quae prius erat, cum moribus ipsis et emendata auctaque cogitandi ratione, opponatur, neque tamen haec eodem jure, quo illa Christiana appellatur, ethnicae nomine distinguatur. Nam cum apud veteres religionis vi minus quam nunc est, ipse omnis populorum status ac vita novaretur et philosophiae progressus haud raro religioni contrarii essent, fieri potuit, ut vetus philosophia ab indole ipsa ethnicae aetàti propria abhorreret, et, ut ipsi patres ecclesiastici τὸν λόγον magnam in ea vim habuisse

---

(1) Stanlejo imprimis, qui veteris tantum philosophiae historiam scribere audebat, defensa.

confessi sunt, Christianae persuasionis aliqua semina contineret. Nihilominus tamen, quid inter utramque philosophiae formam intersit, ut subtilissimi judicii est, satis accurate indicare, ita in universum cognoscere necessarium est. Ac primum quidem manifestum est, cum veteribus aegre ac vix persuasum esset, ad veritatis cognitionem omnibus aditum patere debere, sed paucis tantum, quos aequus amaret Juppiter, aut ardens eveheret ad sidera virtus, divinior ejus lux concessa putaretur, nova Christi doctrina contra commune id omnibus ex aequo desiderium studiumque inditum esse dixit, ut ad virtutis lumen adspirarent, et a Deo tale institutum procuratum esse affirmavit, ut in ea invenienda adjuvarentur. (1) Ita lux mundi in Christo apparuit atque haec lux ad omnes ubique penetrare cupivit. Sed haec veritas non diffusa solum est, sed certa etiam ejus persuasio data, quae fidei Christianae notio est. Haec animum ad divina quaeque appetenda erigit, dulcissima eorum spe implet eumque naturae nostrae perfectionem atque ascensionem promittit, ut Deum tueamur, absolutaque patris bonitate contemplanda delectemur. Apud veteres daemones quidem inveniuntur averrunci, sed associati iis nocentes; quo omnis tollitur fiducia. Quare, etiamsi Homerus (2) dicit, injuria homines de diis conqueri tanquam malorum auctoribus, etiamsi apud Sophoclem Oedipum tandem cum fato in gratiam redire legimus, tamen nullum potest omnis antiquitas solatium praebere, quod verum sit et duret, Chri-

(1) Cf. Tertullian apologet. c. 46.
(2) Od. a.

stiana contra doctrina nos non solum ad perfectionem appropinquare vult, sed hanc ipsam nobis attribuit, omnibus temporis praesentis et futuri discriminibus sublatis, non terrestrem, sed aeternam vitam promittens. Ita a rebus terrestribus, quae circumcisa, fluxa, caduca sunt, nos avocans, tamen, cum in terrenis his rebus coelestium semina inclusa lateant, ea quoque, quae hujus mundi sunt, non negligit aut despicit et omnino omittit, sed ea in iis potissimum sectatur atque perquirit, quibus divina se majestas revelat et creatoris gloria celebratur. Sic amorem imprimis Dei postulat, sed non minus hominum et proximi cujusque, atque ut vitam praescribit bonis studiis deditam, strenuitate et bene agendi ardore insignem, ita cum in omnibus, quae vita nobis aut contemplanda aut tractanda offerat, Dei a nobis vestigia inquiri pieque observari jubeat, ad ipsa nos scientiae, meditationis, philosophiae limina viam munit (1), ut Dominum ubique, ex cujus genere ortum habeamus, non remotum illum quidem ab una quoque nostrum, investigare conemur (2); a quo meditationis philosophicae genere, quo omnia ad Deum referantur, is in omnibus finis quaeratur, ubi divini numinis aliquod indicium spectetur et rursus sancta omnia et divina in vitae terminos revocentur, dubium non sit, quin antiquitatem longe abfuisse concedamus. Graecorum enim sapientiam de certo fine, ad quem omnis tandem disputatio pertineat, adeo desperasse videmus, ut omnia in

(1) Cf. Steffensii librum. „Die gegenwärtige Zeit und wie sie geworden.“ pag. 275.
(2) Act: Apost. 17, 27.

contraria et opposita sua dissolvi, rerum universitatem terminis suis circumscriptum, malum in mundo necessarium esse, nihil omnino inveniri, quod perfectum et absolutum sit, docerent. Atque his judicii angustiis dolendum est, ne ipsum quidem Platonem liberum esse, qui, quamvis indefesso studio in intimos animi recessus et universitatis naturam altius, quam alius inquirat, erroribus gentilibus fortissime resistat, ipsum ubique idearum splendorem sectetur, ipsa Deum pure spectandi et ad naturae perfectionem perveniendi spe efferatur, tamen, quatenus vitae puritatem animique sanctitatem, tanquam finem nobis proponit, ad eumque assequendum adhortatur, talem eum describit, cui propius quidem accedamus, neque vero unquam attingamus.

Verum tamen cautio est, ne quis omni veteris et Christianae philosophiae discrimini eo satisfactum esse putet, si, ut in vulgus fit, illa mundi creationem agnoscere, haec vero mundum ex certo aliquo principio, praeter Deum ex materia progenitum esse velle dicatur. Omnis enim philosophiae historia docet, materiae ab elegantissimis Graecorum philosophis non nisi negativam aliquam (quae dicitur) vim attributam esse (1), ut id esset, quo Deus opus haberet, ut ex eo hanc rerum universitatem crearet, quamquam negari non potest, veterem philosophiam hanc quasi regulam et legem praescriptam habuisse: „gigni de nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti, (2) cum contra nostra philosophia a tali creatione

(1) Cf. Boeckhii commentationem cui titulus est „Ueber die Bildung der Weltseele im Timaeus des Plato."

(2) Lucret. I, 150, 266.

proficiscatur et id sibi sumat explicandum, quomodo salva ea lege, quae cuique rei justam suam caussam esse velit, divinum numen, nulla omnino materia adhibita hoc universum creavisse putandum sit. (1) Jam ex hoc ipso, quod religio Christiana novum hoc principium proposuerit, intelligitur, qua necessitate inde ex illo tempore rationi philosophanti nova se problemata obtulerint, a veteribus aut leviter tacta, aut prorsus, neglecta et ignorata, praecipue, quae inter libertatem et providentiam Christianam ratio intercedat, quo religiosa conscientia cum morali cohaereat. Atque ne dicam paucos tantum inter veteres ad providentiae divinae et summarum, quas in Summo Numine pie colimus, virtutum intelligentiam processisse, omnes vero fugisse id, quod caput est doctrinae Christianae, Deum nihil esse nisi ipsum amorem, ejusque gratia cum universum genus humanum, tum singulos quosque regi ac sustentari; quid? cum Herodotus, poetarum maxime commenta secutus fabularumque popularium somniis innixus, deos invidia in homines ferri semel pronuntiasset (2), nonne Platonem ipsum et Aristotelem ingravescenti hujus erroris turpitudini vix resistere posse videmus? Qui ipsi quid tandem est, quod effecerint? Deos invidos esse negarunt quidem, quae aut contraria huic crimini summa divinae naturae laus est, amore eam in nos abundare, ac solo amore regi, ei probandae non possunt dici pares fuisse. Atque quid est, quod antiquitas deos, certos injuriarum ultores, placabiles esse gloriaba-

(1) Cfr. Kantii Libr. „Critik der reinen Vernunft. S. 252."

(2) Herod. lib. I cap. 32. τὸ θεῖον πᾶν ἐὸν φθονερόν,

tur, cum poenitentiam ignoraret, ac ne ex longinquo quidem comprehenderet, quid sit renasci hominem?

Verum tamen ut recentioris philosophiae vis perpiciatur, non satis dicere, dualismum illum, quo antiquitas laboraret, perspecta absoluta devini numinis, vi creatrice repulsum esse, nisi alter dualismus, qui in ipsa doctrina. Christiana prodiit recte dijudicetur. Antiquitas enim ab eo procedit, quod nos objectum dicere solemus, atque pro certo statuens, nullius rei claras definitasque notiones oriri posse, nisi quae vere sit; hoc unum ipsumque comprehendere, notiones omnem ejus vim varia ex parte complectentes explicantesque formare, has jungere inter se et discernere studet; nova contra philosophia in hoc est occupata, ut inquirat, num et quatenus sit, quod notionibus nostris in rerum natura respondeat, an hae pro opinionum tantum commentis habendae sint. Quae quaestio, etsi per se satis gravis et omnia inclusa in se continens, quae de ortu cognitionis nostrae scire nobis licet, saeculis XI et XII omnem fere philosophiam explevit, media tamen aetas ei absolvendae non par erat, quippe sufficiente ac interiore naturae cognitione destituta. (1) In quam cum antiquitas, tantum, ut disciplinae aliquod systema componeret, inquisivisset, media vero aetas, ultra Aristotelis fines neutiquam progressa mysticam aliquam Alchemiam introduxisset, novam demum experimentorum instituendorum viam insistens, accessum sibi ad interiorem cognitionem aperiit.

(1) Cf. Steffensii praeclarum librum, „Die gegenwärtige Zeit und wie sie geworden." S. 79.

Nam quod recentiori philosophiae maxime proprium est, ut res a priori cognoscere et probare studeat, eo omnis fere argumentorum experimentis innitentium ratio continetur. Kant. in crit. purae rationis. (1) Rationem ab altera parte principiis suis, quibus solis legum vis congruentibus, quibusque visis paratur, ab altera experimentis suis, quae ab illis docta excogitavit, armatam ad naturam accedere dicit, ut ab ea discat, non discipuli quidem more, qui, quicquid praecipiat magister, arripiat, sed judicis lege constituti, qui testes ad quaestiones ab ipso propositas respondere cogat. Dici potest, solis systemate a Copernico invento, viam quoque, qua recentior philosophia ingressura esset, praescriptam, et quo majores naturae cognitio progressus faceret, eo firmius philosophiae vires adauctas esse, ut, qua nunc. perfectione splendeat, eam naturalium doctrinarum humeris insistens assequeretur. Cartesium vero, Spinozam, Leibnitium, summos philosophos stabile naturalis philosophiae systema proponere non potuisse, eum non mirum habebit, qui cogitaverit, Physicam, quae proprie dicitur, illorum temporibus, aut nullam fuisse aut admodum puerilem. (2)

Caput II.

PHILOSOPHIAE STATUS ANTE KANTIUM.

Antequam vero ad Kantianae disciplinae proprietatem

(1) Praef. p. XIII. ed. V.

(2) Cf. Steffensii libros. „Polemische Blätter pag. 61, pag. 149. et." „Die gegenwärtige Zeit, pag. 288."

paucis describendam pergam, non in utile videtur, brevem processus philosophiae ante Kantium adumbrationem praemittere. Quemadmodum, quid potissimum recentior philosophia spectaret, et qua via propositum suum persequi studeret, constantissime in oppositis inter se Leibnitii, Lockii et Humii expressum erat, ita ex iisdem philosophica omnia saeculi octavi decimi studia rectissime cognoscuntur. Leibnitius in eadem quaestione, quam Cartesius, Malebranchius et Anglorum Idealistae tractaverant, expedienda occupatus, id quod Cartesius maxime sibi proposuerat, plenissime absolverat (1). Huic e contraria parte Lockii sensualismus adoleverat, qui ejusdem quaestionis difficultates omnem cognitionem nostram ex solis observationibus deducendo tollere sibi posse, videretur. Utrique sceptica ratio obloquebatur, nec cogitando nec experiundo, ad cognitionis veritatem perveniri posse statuens. (2)

(1) Leibnitius nullam earum quaestionum, quae mentis cogitantis et philosophantis actione nobis proponuntur, intactam reliquit, et quidquid discriminum ex rerum discrepantium inter se et contrariarum observatione oritur, acutissime componere studuit.

(2) Veteres sceptici non solum contra animadversiones eas, quae proprie dicuntur, disserunt, sed, ut Aenesidemus etiam cogitandi formas, cognoscendi principia, veri falsique discernendi notas in dubium vocant et ipsam illam notionem, qua caussas alias ex aliis esse credimus, ratam esse atque in disputando recte adhiberi posse negat; recentiores vero, quatenus hanc dubitandi rationem diverso ab illis ac proprio modo evolventes excoluerunt, partim homini datum esse negavit, ut sua sponte, ingenii tantum ac naturae viribus innitens, neque a divina revelatione adjutus, ad veram cognitionem proveniat, partim nullam caussarum notionibus veritatem tribui volunt. Quare recentiorum disserendi forma, cum comprehendi nequeat, nisi ex interioribus antiquitatis recessibus lux ei petatur, nos hoc loco, quid inter utramque discriminis sit, paucis potius notis adumbrare, quam juste excutere decet. Recentior aetas aut in eo se continuit, ut, quod pro certo ac vero haberetur, certum ac verum non esse ostenderet, quod imprimis Montaigne spectabat (non omni is quidem religionis sensu exutus, at nullam tamen veritatem esse, nullam virtutem perstare, totum mundum stultitia et libidinum temeritate turbari vociferans), aut veterum contra omnia disserendi rationem historiae via persequendo tueri ac revocare conata est, quod Foucherus propositum habebat, aut principium, unde omnis disputatio proficisceretur, satis per se ac simpliciter certum quaesivit, idque, quum naturae nostrae viribus recta scientia comparari non posset, ex sola veritatis revelatione repeti debere statuit. Hanc ultimam sententiam alii aliter probare ac tueri posse sibi visi sunt.

Franc. de la Mothe le Vayer contendit „hominem nec scire quicquam per se, nec cognoscere posse, num omnino et quatenus opiniones suae et notiones suae rebus respondeant, ideoque primo veritate revelata opus esse; Hirnhaym, mixtis scepticorum et mysticorum argumentis, hominem sine divino impulsu atque ope, cujus, nisi prius in se descendisset seque ab omnibus rebus externis piane disjunxisset, compos non fieret, rerum cognitionem assequi posse, omnino negavit; Le Clerc apagogica demonstratione eos, qui revelationis veritatem addubitarent, necessario erroribus implicari asseruit. Neque

Ex tribus his philosophicis rationibus una tantum Leibni-

tiana talis erat, quae via et ratione plenius excoli et in justi systematis formam redigi posset; id quod ei, auctore

tamen huic diputandi rationi ab ullo fortius graviusque prospectum est, quam ab Glanvillio, qui in ipsam causalitatis, id est ejus meditationum nostrarum formae, qua animi informationes ad res exteras, quae objecta dicuntur, referre solemus, notionem diligenter inquirens, pro fundamento omnis disputationis suae hac propositione usus est, ut, in quo non facile refelli poterat, nos, quopacto, res inter se aliae ab aliis moveantur, prorsus nec observare nec intelligere posse, illamque, in qua vulgo gloriemur comprehensam a nobis caussarum connexionem, nihil aliud, nisi conclusionem aliquam ad analogiae leges factam, ideoque fallacem esse, neque nos, cum experientia tantum, ut res se excipiant et sequantur, non, quomodo altera ab altera proferatur, doceamur, hanc rem caussam continere, illam ejus effectum esse, jure dicere posse affirmaret; nam ex eo, quod aliquid post aliud sit, non sequi, ut propter, vel per illud sit. (Neque tamen huic philosopho sua aetate pro eo ac merebatur, dignus honor habebatur, ut ne Dav. Humius quidem, non multum ab eo dissensiens valde eum attendisse videatur.) Operae pretium est, pluribus hic exponere, quibus idem argumentis satis propriis ac singularibus rationes, quibus tum et Deum esse demonstraretur et mali origo ac natura explicaretur, impugnaret, sed qunm Humio prae aliis quasi sorte quadam datum videatur, ut recentiorem scepticorum doctrinam ad ultimum perfectionis gradum perduxerit, ad hunc progrediamur.

Hanc a veterum disciplina in hoc maxime recessisse constat, quod, Mathesi perfectius exculta adeo non cogitaret negare, relationum certe conditionumqne rerum cognitioni aliquam veritatem attribuendam esse, ut hoc ipsum rationibus, sibi su-

suo mortuo, Wolfii cura obtigit (1); quare, quod vulgo de philosophia Leibnitio - Wolfiana loquuntur, catenus probandum est, quatenus omnis Wolfii doctrina Leibnitii vestigiis insistit, improbandum vero, si de eo agitur, num Wolfius abditam Leibnitii sententiam satis perspectam tenuerit et vere suam facere potuerit. Leibnitium enim, si doctrinam suam ad artem redigere voluisset, multis locis clarum est, aut additurum aliquid, aut mutaturum

merent confirmare, omnem cognitionem nostram his solarum relationum perspiciendarum angustiis inclusam teneri, atque, quum in fontes, principia et fines humanae cognitionis inquireret, in qua quidem quaestione tanquam peculiari campo suo omnis recentioris aetatis philosophia occupata erat, causalitatis notioni, tanquam ei, ex qua omnis, si qua esset, rerum objectarum cognitio penderet, praeter ceteras inhaereret. (Jam Aristoteles hoc quaesivit, an, quando effectus adest, causa quoque subsit et contra. Cf. Aristot. analyt. post. II. 16. p. 98 ed. Bekk.)

(1) Qui (Wolfius) Leibnitii vestigiis insistens ejus dogmata ac praecepta in systematis formam redigere conatus est, speculativa tamen parte posthabita, vel omnino neglecta. Ac ne me eximia Wolfii merita propter ea, quae in eo reprehendenda dixi, aut non nosse aut detrectare iis voluisse dicas, dignus mihi videtur, qui Germaniae imo Europae, neque suae tantum aetatis, sed futurorum omnium temporum magister et habeatur et appelletur. Aristoteli etsi acumine et ingenii altitudine impar, tamen in hoc, si quis alius unquam comparandus, quod omnem omnium saeculorum eruditionem, totumque doctrinarum orbem mente complecteretur cf. Kantii de eo judicium in libro „Kritik der reinen Vernunft."

fuisse. Sensualismus his rationibus, quae sequuntur, excoli potuit. Primum Lockii placita ad antiquissimum materialismum revocare licuit. Nam cum Lockius universam cognitionem nostram ex sensatione deduxisset, nullo labore ea etiam, quod ipse consilio vitavisse videtur, ex ipsa naturae actione, quam statuerat, deduci potuit. Deinde longius etiam progredi licuit. Nam, hoc semel concesso, universam cognitionem nostram ex naturalibus actionibus, id est motu et relationibus deduci posse, facile omni prorsus intelligentia et natura non corporea supersedere possumus, quam rationem Gallorum qui dicuntur Encyclopaedistae inierunt. Tertium, quod Lockius in theoretico tantum campo valere voluit, ad vitae usum actionemque transferri potuit, unde doctrina, qualem Helvetius profitebatur, orta est. Denique fuerunt, qui ut Condillac omnibus contemplationibus disputationibusque, quae ultra communem conscientiam procederent, plane abstinendum esse censerent.

Eorum conatibus, qui Humii dubitationibus consentiens hominum judicium, veritatem cognitionibus nostris tribuentium opponerent, praeclara scripta debemus, quamquam summam rei minus feliciter attigisse putandi sunt. Humio enim ita se defendere liberum erat, ut se minime id, in quo adversarii demonstrando laborarunt, negare, quin etiam concedere diceret, eam esse consuetudinis vim, ut omnes obstringat et apud omnes valeat, seque consuetudinis nomine idem significari velle, quod ab adversariis comun sense appellatur.

Germanorum maxime philosophi in eo operam collocarunt, ut diversas has philosophicas rationes, nulli se

addicendo, varieque eas inter se miscendo, quodammodo conciliarent partim, ut Platnerus, Leibnitii de monadibus doctrinam et methodum analyticam cum Humii scepticismo consociarent, partim, ut Sulzer, Eberhard, Tetens, cum empirica psychologiae methodo componerent, partim, ut Basedow, analyticam Leibnitii methodum ad communis sensus philosophiam transferre studerent. Contra altioris judicii philosophi, penitus rem perspicientes, nova certioraque philosophiae fundamenta circumspexerunt, Lambertus notiones simplices legesque, secundum quas illae conjungi deberent, certissima per se principia esse ratus; F. H. Jacobi demonstrare conatus, omnia harum controversiarum componendarum studia inde proficisci debere, ut aliquid, quod per se sit, pro principio in se ac per se certissimo haberetur (1). Tertia studii philosophici conversio eaque

---

(1) Ita triplici via has judicii philosophici diversitates tollere tentatum est. Primum obscurius sentiebatur, quam clare intelligebatur, quid deesset. Humii dubitationes animos excitaverant, ut attenderent, in philosophia Wolfio-Leibnitiana, caussis doctrinae nondum satis declaratis, nimium dogmaticae argumentandi rationi tribui. Sic extiterunt, qui ad Humii morem obloquentes decreta Leibnitiana tueri curarent, quod praeter alios Platnerus in Aphorismis philosophicis fecit. Quomodo, cum fieri non posset, ut multa Leibnitii dogmata desererentur, mirum non est, si sensim ejus doctrina admodum mutilata et dilacerata videretur. Alii praecipuis Leibnitianae disciplinae momentis majore cum fide inhaerentes, sed, si quid ipsis deesse videretur, id psychologicis expositionibus explere et redintegrare posse arbitrantes Leibnitii rationalismum cum experientia conciliare voluerunt, in quo genere Tetensii liber,

praeter ceteras insignis Kantium habet ducem. Is eo tempore in medium processit, quo in Germania Wolfii meta-

---

quem „Versuche" inscripsit, nominandus est. Alii, communis sensus jura propugnantes ethicam ex ejus opinionibus informaverunt. Sed longe his graviores et praestantiores ii sunt, qui novo philosophiae fundamento jaciendo inter se sententias conciliare periclitarentur; ex quibus primus fuit Lambertus. Hic cum probe intelligeret, Leibnitii disciplinam in hoc praecipue mancam esse, quod notionem, qua res esse dicimus, non ex ipsa rerum natura probaret, Lockii autem placita et necessitate carere, nec ad omnia applicari apudque omnes valere posse, quaesivit, quaenam universa et necessaria cognitionis nostrae elementa essent, quae eadem rerum simul usu comprobarentur. Talia censet simplices sensus simplicesque notiones esse, quae, quod nihil contineant, quo turbari, aut mutari queant, per se evidentia ac manifesta esse existimat. Decem igitur hujusmodi notiones enumerat, novam quasi categoriarum tabulam constituentes. Tum conjunctionis notionem examinat h. e. exquirit, quomodo ex primis his elementis composita quaeque ortum suum capiant. In junctione rerum et separatione errori locum esse concedit, sed his mathematices subsidio opus esse intelligit. F. H. Jacobi, licet tempore posterioris, prima tamen scripta philosophica in id tempus incidunt, quo praecipui Kantii libri nondum editi erant. Is per omnem vitam fidissimam litteris operam impendens hoc unum efficere conatus est, ut iterato semper studio probaret, omnem contemplationem philosophicam fructu suo destitui et necessario ad irritum redigi debere, si omnia copulandis inter se ideis inveniri posse opinemur, neque ad tale aliquid, quod per se certum sit, recedere malimus.

physica omnia ad circumscriptum intellectum referens („Verstandes-Metaphysik") dominaretur, in Gallia altiora quaevis studia tristi nocte premerentur, in Anglia ethica quidem ratio quaedam servaretur, sed omnia tam communi judicio et populari intelligentiae subjicerentur. Fatendum est, si verae philosophiae certissimum indicium hoc sit, ut initam aliquam philosophandi viam perfecte muniat et quasi tutam absolutamque exhibeat, aut plures disserendi rationes methodosque firmiter inter se conciliet, Kantium cum utroque hoc merito eminuerit et non solum philosophiam prorsus fere jam consopitam expergefecerit novisque viribus auxerit, sed etiam melioribus quibusdam suae aetatis seminibus religiosissime usus sit, in Platonis, Aristotelis, Leibnitii societatem recipiendum esse.

Caput III.

Kantius has, quas descripsimus, disserendi rationes methodosque firmiter inter se conciliavit.

Kantius cum funditus philosophiam emendare et instaurare sibi proposuisset, partim cum Lockio et Humio negare cogebatur rerum, quatenus vere sint, cognitionem cognitionis via ex solis ideis comparandam esse, (1) partim cum

---

(1) A Lockii inde et Leibnitii systematibus immo ab ipsis inde metaphysices primordiis non reperitur magis feliciusque, quo haec doctrina provecta sit, quam insignibus Dav. Humii

Leibnitio universales et necessarias experientiae conditiones demonstrare, atque ita non minus prima analyticae rationis principia et caussas aperire, quam in cognitionis nostrae fontes finesque subtilius inquirere debebat. Tametsi vero

---

studiis meritisque, qui summus vir, si minus lumen attulit, ingenii certe scintillas in philosophantibus excitavit, ex quibus fortuna adjuvante flamma prorumpere potuit, litteris saluberrima (Kantius). Kantius de Humii placitis agi non posse declarat, nisi prius de mentis formis satis constet. Sic magna illa quaestio oritur, utrum cogitationibus nostris realitas objectiva congruat necne, quae ipsa ex altera hac pendet, quid sit realitas objectiva, cujus notionem Humius secundum experientiae leges definire voluit. Hoc Humio quidem concedendum censet Kantius, nec idealismum nec empirismum per se satis in se habere ponderis ac firmitatis, sed inde non sequi, diligentiore inquisitione eo perveniri posse, ut tale vel empirismi vel idealismi systema struatur, quod a scepticorum dubitationibus satis tutum sit. Omnis haec quaestio eo redit, ut primum inquiratur, num cogitatio per se veritati inveniendae sufficiat; quae rursus quaestio ex eo pendet, ut ipsa cognoscendi facultas ab aliis omnibus sejuncta in simplicissimis ejus actionibus observetur et diligentissime perpendatur. Quam ob rem cum cujuslibet rei veritatem tum demum nobis cognovisse persuadeamus, cum necessariam ejus et universalem naturam intellexerimus, Humius evidentissime demonstrasse putandus est, omnia, quae per sensus nobis adducantur, nullam in se cognoscendi necessitatem continere et propter hoc vel de scientia prorsus desperandum esse, vel statuendum, illam necessitatem et universalitatem, quibus ad verum cognoscendum opus sit, in intimis mentis humanae recessibus sedem suam habere.

maxime operae pretium est, videre, quibus sensim stadiis Kantius eo adduceretur, ut philosophiam nova prorsus instauratione egere suarumque hoc opus virium esse intelligeret, tamen, cum ab illius temporis, quo ipse vixit, indole ac moribus remotiores simus, et difficillimum per se est, omnem philosophiam Kantianam ex ipsius ingenio atque aetatis suae conditionibus deducere et explicare, et, siquis vel felicissime perfecisset, nescio quid inde elegantiori acumini nostro philosophico offensionis pareretur. Nam cum fieri non possit, quin, quo perfectius Kantii ingenium expressum esset, oratio quoque et omnis disputationis tenor ad Kantiani sermonis similitudinem accederet, haud facile talis scriptor rigidi generis dicendi reprehensionem evitaret. Primum Kantius in cognitionis nostrae principia inquirere videtur sibi proposuisse. Hic, cum systemati Leibnitio-Wolfiano occurreret, contradictionis et caussae sufficientis principia tuenti, illud non principale sed derivatum, hoc non satis vel intellectum vel munitum esse existimavit. Quare, cum caussae sufficientis principium, utpote quo certo alicui subjecto, ceteris omnibus exclusis, certum aliquod praedicatum attribuamus, rationis determinantis principium appellari mallet, ipsam rationem determinantem praecedentem esse dixit, vel sequentem. Ratio antecedens determinans principium est reale, ratio consequens determinans principium est caussae cognitionis. Quo principio, ut uti possimus, cum antea invenisse nos aliquid oporteat, quod vere esse debeat, quo certius ceterae res omnes esse possint, hoc determinantis principium tantum abest, ut viam nobis indicet, qua tale ens a nobis inveniatur, ut hoc ipso Kantii dogmate argumenta

etiam, quibus Deum esse probare studuit, mire impediantur; quamvis concedi debeat, quodvis ens finitum principio suo reali carere non posse. Ex hoc determinantis rationis, principia et successionis et coexistentiae deducit. Rationes enim, quae inter plures substantias intercedunt, supremum aliquod et commune sibi principium postulant. Ex quo intelligitur, Kantium a doctrina Leibnitio-Wolfiana non solum in capite de deductione dissidere, sed etiam ipsum de monadibus continuaque earum agitatione et motus assiduitate placitum impugnare, caussasque, cur talis mutationis perpetuitas, intelligentiae nostrae vim et notionem fugiat, explicare. Itaque in Monadolophysica, cum eorum sententiam, qui in omnibus rebus ultima, ex quibus constent, elementa reperiri docerent, cum iis, qui eas in infinitum dividi posse vellent, conciliare tentaret, prima quasi fundamenta jecit naturae, ad metaphysicam rationem perquirendae. Hoc enim concesso, in omnibus, quae composita sint, simplicia demum elementa inveniri, spatium docet, quippe infinite dividuum, ultima ejusmodi elementa habere non posse. Ex quo, cum sequatur, ut, quidquid spatii particeps, id extensum sit, ultimis elementis careat, at monadas tamen necessario habere debeat, fieri non posse dicit, quum in apertissimam hanc et difficillimam incidamus repugnantiam, ut monadas ipsas quidem non extensas esse, at spatium tamen explere contendam. Eam ita solvit, ut monadas spatium implere censeat, non corpore aliquo, quod vere sit et constet, sed ea vi, quae aliis monadibus, quominus idem spatium irruant, resistat; h. e. impenetrabilitate, ipsarum naturae propria. Quae vi, cum nulla efficeretur terminatio ac rerum circumscriptio,

attractionis vim addere cogimur; quamquam ne hac quidem expositione spatii natura satis definita est. Primas harum disputationum lineas in libello proposuit, qui „Unterschied der Gegenden im Raume“ inscriptus spatii subjectivi cogitationem quasi praeparat et inducit, post praecipua novae doctrinae suae capita in scripto, cui titulus est „Träume eines Geistersehers erläutert durch Träume eines Metaphysikers 1766“ subtilius persequebatur; ipsum vero philosophiae fundamentum anno 1770 demum in publicum produxit in disputatione „de mundi sensibilis atque intelligibilis forma et principiis,“ in qua acutissime inter analyticam et syntheticam philosophandi rationem distinxit; de cujus utriusque natura, ut de methodo in universum praeclarae expositionis in scripto „die falsche Spitzfindigkeit der vier syllogistischen Figuren“ et „einzig möglicher Beweisgrund zu einer Demonstration des Daseins Gottes“ leguntur. Quae scripta, etsi multa levia et parum firma continent, tamen methodi naturam acerrime et utilissime perlustrant. Kantius analyticam rationem ipsa necessitate praescribi demontrat, tamen, ut omnis analysis synthesi nitatur, et quicquid ad prima elementa sua reducatur, analyseos via repertum esse debeat. Ita caussalitatis enunciatum sola analysi non potest clarum fieri, quomodo quidque oriatur, ex rerum convenientia (Identität) explicari nequit.

In illo, quem supra nominavi scripto, spatii atque temporis notiones subjectivas et formales conditiones appellat, quibus multiplicia omnia pone, prope et propter se ordinentur ac digerantur, et earum notionum ac principiorum, quibus, quaecunque temporis ac spatii conditionibus subjecta a sensibus nobis oblata sint, in tran-

scendentales unitates congerantur et cogantur, atque hoc modo observationes ad experientiae dignitatem perducantur, unicum fontem intellectum esse affirmavit. Tum perceptionis nostrae formas, cum experientiae conditiones contineant, non ab hac proficisci, sed a nobis ipsis libera mentis actione procreari vult; quo cogebatur prius statuere, quid proprium habeant, quove differant illae formae, quae non ex experientia oriantur, ut simul sensualismi et rationalismi rixas componeret. In critica purae rationis, qua edita systematicam doctrinae suae explicationem proposuit, Kantius sensualismo hoc largitur, cognitionem nostram, si tempus tantum spectetur, ab observatione et experientia ordiri, neque animum pura, quam habeat sui conscientia, talem multiplicium rerum, quae discerni queant, varietatem gignere posse, sed cautionem esse monet, ne hujusmodi initium cum fonte et principio ullo modo confundatur, cum potius, si universales et necessarias cognitiones nobis inesse demonstrari possit, clare sequatur, nos puras etiam cognitiones ab omni experientia sejunctas parere posse; (1) quod tamen non ita accipi vult, ac si cognitiones, quas nostra ipsorum industria et opere comparari constet, innasci nobis doceat. Quod si igitur universales in nobis, certe matheseos cognitiones inesse negari non potest, perspicuum est, nos facultate

---

(1) Experientia cognoscendi occasionem praebet, cognitionem ipsam tamen non parit. Ipsae enim cognitiones nostrae experientia subministrante collectae, compositae sunt ex eo, quod impressione, qua sensus afficiuntur, nobis tribuitur et ex eo, quod ipsa, quae in nobis est, cognoscendi facultas illa ex-

eas ex nobis producendi instructas esse. (1) Porro, cum forma cognitionis separando et conjungendo contineatur, judicium necesse est praeeat cognitionem. Judicium aut analyticum aut syntheticum; quare si de via quaeritur, quomodo in cognoscendo progrediamur manifestum est, nos syntheticis judiciis uti atque ipsa scientia, accuratius spectata, iis consistere, certe perfectius excoli videtur; (2) quo concesso dubium non potest esse, quin, quoties in notionibus vel conjungendis vel separandis principia identitatis aut repugnantiae non sequamur, judicia synthetica a priori adhibeamus. Mathesis usque ad Kantium analyticam rationem tenere et Geometria in solis spatii rationibus exponendis versari putabatur. (3) Is eam primus in omnibus partibus suis necessario, vel ibi synthetica via progredi ostendit, ubi

---

citata ex se ipsa et sua ipsius vi suggerit. Cognitio ex ipsa cognoscendi facultate profecta a sensuum experientia prorsus non pendens pura et talis est, quae a priori orta appellatur.

(1) Cognitiones quas a priori dicimus in unoquoque homine insunt et disciplinis praesertim mathematicis fundamento sunt.

(2) Mens quidem ab experientia non pendens sui ipsa juris notionem quamlibet in particulares suas notas dissolvere iterumque solutas has partes conjungere potest, quod judicandi formis fit; sed haec cognitio ita parta formalis tantum est, ut patet. Realis cognitio ea appellatur, quae judiciis innitatur iis, quorum praedicatum extra subjecti notionem egrediatur, id-est „talia judicia realis cognitio comprehendit, in quibus syntheseos ope opposita plura et contraria jungantur.

(3) Dav. Humius mathesin principio contradictionis solummodo niti censuit; quod, si accuratius secum perpensitasset,

analysi maxime opus esse videatur, nec aliam physices rationem esse, cui quae pars philosophica praemitti soleat, principiis consistere non analyticis, sed syntheticis. In motu putamus vires, cum excitantes et prohibentes sibi pares esse debere, sed nec hoc, nec illud in Metaphysica (1) enunciatum: suam quaevis mutatio caussam postulat, analysi reperitur. Tantum enim abest, ut mutationis notio causae notionem in se contineat, ut mutationis notionem explicantes caussae notionem cogitando tantum addamus.

---

dubium non est, quin aliter statuisset. Omnia enim matheseos theoremata synthetica sunt, etsi id omnes adhuc fugit, quotquot in naturam mentis humanae ejusque facultates inquisiverunt.

(1) Judicia synthetica item in metaphysica inveniuntur, cum mens ita sit natura comparata, ut cogitando ultra sensus progredi cupiat. Hinc naturalis quaedam metaphysica nobis reperitur, quae cognitionem nostram a priori augendam sibi proponit.

V I T A.

Ego Bonaventura, Bernhardus Kolbe natus sum die XIV Jul. a. hujus saeculi XII, Reinertii, comitatus Glacensis urbe, patre Ignatio Kolbe superiori saltuum praefecto et matre Barbara Kolbe, ex gente Hauckiana.

Puer XI annorum Gymnasium Glacense adii ibique commoratus sum annos VIII, per quos singulari quodam amore praeceptorum dilectissimorum frui mihi licuit.

A. MDCCCXXXII maturitatis testimonio dimissus ad liberiora studia academica Vratislaviam me contuli, ubi hi fuerunt mihi praeceptores, de me optime meriti semperque pie colendi. In studiis antiquitatis F. Passow, C. Schneider et Ritschl, in historicis L. Wachler, G. Stenzel, in philosophicis clarissimus Braniss, in physicis Glocker, Henschel, Koecher et Scholz me instituerunt.

Palam profiteor, his viris Doctissimis et Celeberrimis me nunquam dignas referre posse gratias.

A. MDCCCXXXIV Berolinum, praestantissimam Musarum sedem profectus sum, ut interesse possem lectionibus C. Ritteri, ut scholas frequentarem philologicas et philosophicas V. V. Ill. Ill. Boeckhii, Lachmanni, Gableri, Steffensii et Trendelenburgii.

Clarissimis his et Celeberrimis viris, quorum summa in me humanitate haud parva commoda rei literariae mihi evenisse profiteor et Professoribus ceteris Illustrissimis, qui prompto et alacri animo aditum mihi in literarum sacra aperuerunt, hac occasione data gratias ago quam maximas.

THESES.

1. Horat. carm. lib. I. 7 vers 27. auspice Phoebo legendum est.
2. Cicero de legg. I. 2 annales pontificum maxumorum, quibus nihil potest esse jejunius pro jucundius emendandum est.
3. Hom. Iliad. lib. 2 vers 291 emendatione καθῆσθαι pro νέεσθαι non opus est.
4. Aeschyl. Agam. pr. cant. chor. v. 104 interpretes ἐκτελής pro ἐντελής acceperunt, sed propria vocis „ἐκτελής“ significatio huic loco accommodatissima retinenda est.
5. In eadem fabula „ἔτι γὰρ θεόθεν καταπνείει πειθὼ μολπᾶν, ἀλκᾷ σύμφυτος αἰών vertendum est,“ coelitus enim carminum mihi adspirat spem aetas vi sociata.
6. In eodem cantu chorico φέρματα (βλαβέντα λοισθίων δρόμων) legendum est.
7. Qui in civitatem intrant, de libertate non solum nihil amittunt, sed in civitate tantummodo verae libertatis participes fiunt.
8. Pulchrum perfectum non natura, sed arte nascitur.